



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

De Differentia ultima Theologiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

sentus cum formidine, hoc est incertus & inevidens. Et sicut impertinenter aliquis argueret, quod Petrus quamvis non foret animal, vel rationale, adhuc esset homo, quorum utroque constituitur in esse hominis; ita impertinenter dicitur, quod talis notitia esset opinio, quamvis foret evidens, incerta tamen. Unde eo casu, talis impossibilis notitia constitueret medium quid per impossibile, inter scientiam & opinionem. Quamvis autem Aristoteles divideret omnes habitus Intellectuales, non sequitur, Theologiam esse rigorosè unam ex illis: quia ipse divisit notitias parabiles ex principiis ordinis naturalis, ex qualibus, non procedit Theologia.

DICES 3. Cum Gillio. Supernaturalia, quorum naturam ignoramus, solemus appellare nominibus rerum illis simillarum, inter habitus autem naturales, simillima est Theologia scientiæ.

RESPOND. Simillimam quidem esse, non tamen rigorosè scientiam. Deinde cum demonstrari non possit existentia Angelorum, sed nonnisi ex supposita revelatione certo nosci, certitudo existentiae illorum in Philosophis Ethnicis non dabatur; habebant tamen certitudinem de brutis & hominibus; & quando ex conjecturis agnoverunt Angelorum existentiam, eos nec revocaverunt, nec revocare potuerunt ad membrum, quod est homo, quamvis sint simillimi hominibus: ita ex similitudine Theologiæ ad scientiam, non sequetur per locum intrinsecum, Theologiam revocari debere ad scientiam.

INSTABIS. Cum eodem. Aristoteles dum meminit scientiæ, sæpius meminit certitudinis, quam evidentiae.

RESPONDETUR. Est hoc argumentum ab Auctoritate negativa, & sicut dum meminimus hominis, frequentius meminimus rationalis, nec tamen sequitur hominem non stare essentialiter etiam ratione viventis insensitivi; ita & in præsentia.

ASSERO 2. Pro genere Theologia importat rationem scientiæ latissimè sumptæ. Ratio. Tum, quia S. Thom. Theologiam appellat scientiam; Tum, quia ratione definitionis, divisionis, argumentationis maximè accedit ad scientiam; Tum, quia sicut olim nomen scientiæ usus applicuerat ad significandas notitias certas, & evidentes; ita & nunc applicuisse poterat ad notandum id, quod in sua certitudine procedit definiendo, dividendo, syllogizando, licet cum inevidentia. Cæterum commodius assumetur pro genere virtus Intellectualis, dixi virtus, non habitus, ut extendatur nomen Theologiæ, etiam ad actus illius. Dixi virtus Intellectualis: quia Theologia est species, dividens virtutem Intellectualem; licet non agnita ab Aristotele; in membris autem dividendis deserviendis, pro genere assumitur id, quod dividitur. Commodius autem assumetur nomen virtutis Intel-

lectualis, quam nomen scientiæ latius sumptæ, si usum vocandi demas: quia definitio scientiæ quam agnovit Aristoteles non patitur hanc attributionem. Et sicut finius non potest dici homo latius sumptus: quia id non patitur definitio hominis, sic nec Theologia potest dici scientia latius sumpta (dempto usu vocabuli) quia id non patitur definitio scientiæ, importans evidentiam, quæ non competit Theologiæ.

ASSERO 3. Pro genere scientiæ Theologiæ, non debere assumi, quod sit virtus discursiva. Ratio, quia definitio, divisio, enuntiatio Theologiæ, sunt actus Theologici; & tamen prædicti actus, quæ tales, non sunt discursivi. Et sicut Physica non dicitur esse scientia circa corpus naturale quæ tale, discursiva. Item Metaphysica, non dicitur esse scientia circa ens ut ens, syllogisticè procedens, ita nec de Theologia, idem dici debet. Quod si dicas, definitionem Theologicam revocari ad syllogismum Theologicum, id impugnandum est, ut impugnatum est in Logica, quod solus syllogismus sit obiectum adæquatum Logicæ.

DICES. Omnes communiter Theologiam appellant habitum, ex assensibus fidei syllogisticè deductivum.

RESPONDETUR. Appellari Theologiam talem habitum ratione actus maximè necessarii: iste enim actus est, quo principaliter utitur Theologia pro defensione fidei, ad cuius defensionem, dicit illam esse necessariam, S. Thomas. Unde ulterius.

INFERES. Definitiones & Divisiones Theologicas prout immediatè inniuntur primæ veritati esse actus fidei; licet sint verè actus Theologiæ, in quantum procedunt in materiis Theologiæ, secundum præscriptum scientiarum, & in quantum attendit Theologia ad materiale generis, & differentiæ ponibile in definitione.

De Differentia ultima Theologiæ.

PRÆMITTO 3. Quenam sit differentia ponenda in definitione Theologiæ? Differentia petitur ex obiecto; obiectum autem est conflatum ex materiali & formali, circa quod.

ASSERO 1. Materiale obiectum Theologiæ esse idem, quod fidei. Ratio. Id quod determinat ratio formalis Theologiæ, est obiectum materiale Theologiæ, ut suppono ex Logicis; sed id quod est obiectum materiale fidei, id determinat ratio formalis Theologiæ. Quod ipsum probatur, quia nullum est obiectum, cui possit conjungi ratio formalis fidei, ut illi non possit conjungi ratio formalis obiecti Theologiæ: immo huic soli formalitati conjungi potest, alias hoc ipso non esset actus ille Theologiæ, ergo id quod est obiectum materiale

Prologus.

9

ale fidei, id determinat ratio formalis Theologiae.

ASSERO 2. *Objectum formale Theologiae ratio formalis propter quam, non est immediatum, veritas prima, est tamen immediatum formale & ultimum.* Quod non sit immediatum ratio est. Quia habitus procedentis ex suppositione principiorum, non potest esse immediatum motivum, idem cum principiis; alias nullo haberet, quo distingueretur ab habitu principiorum, ut pote eandem habens motivi evidentiam, claritatem, immediationem; sed si Theologia pro immediata ratione propter Quam, respiceret veritatem primam, idem esset objectum habitus procedentis ex suppositione principiorum, cum principiis: nam principia Theologiae sunt principia fidei, quorum motivum immediatum, est veritas prima. Ne ergo Theologia habens pro principiis revelata, idem habeat objectum cum suis principiis, non potest immediatè respicere veritatem primam.

Quod autem veritas prima sit ultimum motivum Theologiae. Ratio est: quia illud est ultimum, ultra quod in illo genere non est procedere ultra, sed in assensu Theologiae non est procedere ultra veritatem primam: quod ipsum probatur: quia si ponatur hic syllogismus, omnes Apostoli acceperunt spiritum S., Petrus fuit Apostolus, ergo accepit spiritum S., huius inquam Conclusionis resolutorium est, quia fuit Apostolus, & omnes Apostoli acceperunt spiritum Sanctum. Si ulterius queras. Cur assentitur illud esse Apostolum, & Apostolos accepisse spiritum S.? responder Theologus: quia id veritas prima in scriptura testata est, in hocque quiescit intra seriem interrogationum Theologicarum; quando autem est Conclusio non nisi ex una revelata, saltem partialiter, in veritate prima sistitur.

ASSERO 3. *Immediatum motivum, & rationem formalem propter Quam, Theologia esse articulos fidei, seu constatum hoc ex assensu, & ex objecto, quod revelatum est, quocunque modo scientificè notificent illi articuli verum.* Ratio, tum quia nullus est reperibilis actus Theologiae scientificus, qui articulum fidei non assumat, ut inductione patet. Tum quia, objectum revelatum, & assensus illi exhibitus, potest habere rationem principiorum, adeoque subnectere sibi habitum alium, hic autem, nullus est alius propriè, quam Theologia. Tum quia, Theologia debet aliquid habere pro immediato formali; nullum autem commodius ostendetur.

De Divisione Theologiae.

PRÆMIITO 4. *Quenam sit divisio Theologiae? Dividitur in Actualem, & Habitualement.* Utraque subdividitur in Natura-

lem, & Supernaturalem: illa non excedit, naturam, hæc excedit. Rursus tam Theologia naturalis, quam Supernaturalis dividi adhuc potest, in Theologiam naturalem entitativè & objectivè, & in Theologiam supernaturalem entitativè & objectivè. Theologia naturalis entitativè est, quæ non excedit vires naturæ creabilis: objectivè autem naturalis est, quæ procedit ultimò secundum Deum, in quantum est ille veritas prima non excedens vires naturæ: Theologia autem supernaturalis entitativè, est Theologia excedens ut ajunt vires naturæ creatæ vel creabilis, qualis esset, si cum auxilio, vel habitu excedenti operaremur. Theologia autem supernaturalis objectivè est, quæ procedit secundum Deum, in quantum ille est veritas prima ut ajunt excedens vires naturæ. Rursus Theologia dividi potest, in Theologiam beatam, & viatorum, sive illa sit beata Theologia Dei, sive creaturæ. Theologia autem beata est, quæ procedit, per veritatem primam intuitivè cognitam: Theologia autem viatorum est, quæ ultimò sistit in veritate prima obscurè cognita.

Quod si spectes Theologiam ex parte modi intellectus, eà utentis, potest dividi in discursivam, sive formaliter, sive virtualiter: non discursiva autem in apprehensivam, & enuntiativam. Denique si spectes Theologiam ratione materiarum vulgariter divisarum, dividi potest in Positivam, moralem, Controversam, Scholasticam, quæ omnes sunt una eademque Theologia, sed variè spectata: nam Theologia prout attendit ad positiones, quarum nomine veniunt apud Aristotelem prima principia, & axiomata, adeoque prout attendit ad prima principia, quæ sunt in Theologia, Verbum DEI scriptum, Traditio, docetque sensum literalem, & quasi ponit fundamenta fidei, dicitur Positiva: in quantum autem attendit ad Mores, dicitur Moralis: in quantum attendit ad fidem, solvit Objectiones, propriamque stabilit, est controversa: in quantum autem ex suis principiis (qualia sunt Scriptura, Traditio, Autoritas Conciliorum, consensus Theologorum &c.) deducit, procedit, more aliarum scientiarum, vocatur Theologia Scholastica.

Circa hanc divisionem, & alia membra, quæ formari possent, ut in Theologiam practicam, & speculativam, quæ suppono alibi explicata.

NOTO 1. Quod non dicam Theologiam naturalem objectivè esse illam, quæ posset haberi per demonstrationes viribus naturæ debitas; quia demonstrationes, quæ viribus naturæ possunt de DEO haberi, frequenter non sunt actus Theologiae: non enim assumunt pro motivo articulos fidei, immo si acciperent pro motivo ad probandam Dei existentiam articulos fidei, hoc ipso nihil probarent: peterent enim principium, & probarent existentiam per hoc: quia dixit se existere, de quo ipso dubitatur: an existat, præcipue

R. P.
THEO. MŁOD
ZIANOWSKI
Tbm. de Z.
D. VI